

in seculis antiquis non; multaque ratio ut latius intellectus communis ratione
toda non. quodcumque id est esse quod non in politia non, non in re publica, non in
bonis aliis quibuslibet plures homines. Et ratione etiam in re publica non in locis diversis
toda non. in multis enim quod non in multis non est, non in multis.

De fundamentis reipublicae, quae primo Politicorum libro ab Aristotele posita sunt.

Primo Politicorum libro Aristoteles de primis atque communibus omnium civitatum
fundamentis atque de singulis, ex quibus constet respublica, partibus generatim dispu-
tans ad rem ita aggreditur, ut secundum institutam atque descriptam disserendi ratio-
nem (*κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον*) a rebus compositis usque ad minimas atque
individuas partes, quae iam dirimi distrahique amplius non possunt, descendens quum
naturae quadam necessitate in mentis humanae indole posita, non singulorum hominum
arbitrio civitates exortas esse doceat, tum ad quod consilium ad quemque finem pro-
positum conformatae sint, ex ipsis illis rei publicae initii clare ac dilucide demonstret.
Quod qua ratione fecerit, ita consideremus, ut una in nonnullis locis obscurioribus
aut ad intelligendum difficilioribus, quae aut interpretatione aliqua aut emendatione
egere videantur, paulo accuratius commoremur.

Atque quum ipse Aristoteles primum quidem quid sit respublica et unde oriatur
et quid spectet in universum exponat, deinde de singulis, quae in re publica insint,
partibus subtilius et copiosius disserat, nos quoque eius rationem secuti primum de
universa reipublicae condicione agemus, deinde ad singulas partes transibimus.

I. De universa reipublicae condicione. (Cap. 1. 2. Bkk.)

Aristoteles postquam omnem civitatem societatem quandam esse, societatem om-
nem ad bonum aliquod perficiendum coiri, ergo civitatem quoque, quae ut omnium
sit societatum absolutissima et perfectissima, ita ceteras omnes complectatur et conti-
neat, bonum aliquod idque praestantissimum appetere docuit, iam perstringit eorum
rationes, qui virum ad moderandam civitatem idoneum (*τὸν πολιτεχόν*) et hominem
ad regalem potestatem aptum (*τὸν βασιλικόν*) et eum, qui rei familiaris administranda
facultate praeditus sit (*τὸν οἰκονομικόν*) et eum, qui servis imperare sciat (*τὸν δεσπο-
τεχόν*), non genere aut specie differre inter se, sed multitudine et paucitate contendant,
ita ut, si quis paucis imperare possit, dominum, qui pluribus, *οἰκονόμουν*, qui
etiam pluribus, aut *πολιτεχόν* aut *βασιλικόν* eum esse iudicent, tamquam nihil intersit
inter magnam rem domesticam et parvam civitatem. Eosdem, quomodo inter se *βασι-
λικός* et *πολιτεχός* differant, male assecutos esse. ὅταν μὲν — ea sunt Aristotelis verba
cap. 1. p. 1252. Bkk. — αὐτὸς ἐφεστήκη, βασιλικόν (*νομίζουσιν*), ὅταν δὲ κατὰ λόγους
τῆς ἐπιστήμης τῆς τοιαύτης, κατὰ μίσθιος ἀρχῶν καὶ ἀρχόμενος, πολιτεχόν. Quem locum
non prorsus recte Lambinum interpretatum esse puto, quum vertat: « et quum ipse
quidem solus civitati praeest, ad regalem potestatem idoneum (putant), ubi vero ex

rationibus scientiae vicissim imperat ac paret, politicum»; cui assensus Stahrius in interpretatione Germanica: »so sei, wer allein an der Spitze stehe, König, wer aber nach den Grundsätzen der hierher gehörigen Wissenschaft abwechselnd befehle und gehorche, Staatsmann«; atque similiter Lindavius (Aristoteles' Lehrvorträge über die Staatskunst): »dass, wo man allein an der Spitze steht, dies Königthum sei, wo man aber abwechselnd herrscht und beherrscht wird, Staatsbürgerthum.« At, nisi fallor, αὐτός hoc loco non potest esse solus, sed per se ipse aut, id quod idem valet, suo arbitratu, itaque opponitur illi in verbis sequentibus non *κατὰ μέρος*, sed *κατὰ λόγους τῆς ἐπιστήμης τῆς τοιωτῆς*. Politicus igitur ille homo non ad suum arbitrium rempublicam administrat, sed ex praecceptis eius, quae ad rempublicam pertinet, doctrinae, quam βασιλικός omnino nihil curat, non quo, ut Schneiderus, qui cum Lambino αὐτὸν »solum« esse ratus id unum vocabulum duobus membris et sententiis opponit τῷ κατὰ μέρος ἀρχοντι καὶ ἀρχομένῳ et praeterea illi κατὰ λόγους τῆς ἐπιστήμης τῆς τοιωτῆς, opinatur, »ad imperium magnum regali potestate regendum scientia politica non sit opus« — nam qui recte rem consideraverit, facile intelliget, multo maiorem et subtiliorem eius artis scientiam in βασιλικῷ quam in πολιτικῷ inesse oportere, — sed quia scientia illa non tamquam norma agendi et regula utitur βασιλικός, sed in sua ipsius voluntate sua habet omnia. Contra illud κατὰ μέρος referendum videtur ad ἀρχαντ καὶ ἀρχόμενος, quippe quae indicent ea, quae ex superioribus efficiantur. Itaque vertendum esse arbitrator: si quidem per se ipse praeedit, virum ad regalem potestatem idoneum, sin autem ex doctrinae eius, quae eo pertineat, praecceptis (praeedit), ita ut vicissim et imperet et pareat, virum ad civitatem administrandam idoneum.

Iam vero ad ipsam disputationem aggressus primum Aristoteles, quid sit res familiaris et quibus ex partibus constet, ante oculos ponit. Atque quum in initio totius libri omnem civitatem societate quadam effici dixerit, nunc qualis sit illa societas accuratius demonstrat. Consociari enim inter se ea oportet, quorum alterum sine altero esse non potest, ut marem et feminam procreationis causa; neque haec conjunctio libera voluntate initur, sed id quod in ceteris quoque animalibus et plantis fit, naturae quadam necessitate adducuntur, ut alterum aliquid sui simile relinquere cupiant. Alterum genus coniunctionis est ea ratio, quae inter id, quod natura ad imperandum idoneum est et id, quod paret imperio, intercedit; atque ut prius illud societatis genus procreationis causa institutum est, sic hoc alterum ad conservandam salutem natura est comparatum. Nam quod mente et consilio providere potest, id imperandi et dominandi iure habet potestatem, contra quod corporis viribus potest imperata facere, id natura ita comparatum est, ut pareat atque serviat; quamobrem et domino et servo idem conductit. Neque igitur feminae et servi eadem est condicio, quoniam omnino natura ad plures res perficiendas non uno utitur instrumento, sed suum cuique et singulare munus mandatnm est, praeterea nihil. Apud barbaros quidem femina et servus eodem loco et ordine sunt propterea quod, quum eo, quod natura imperet, careant, societas omnis illorum est servi et servae. Iure igitur et merito dicunt poetae aequum esse Graecos barbaris imperare, tamquam idem sit barbarum esse atque servum natura. Itaque ex duabus illis societatibus domus prima constituitur vel familia, tamque neces-

sariae sunt ambae illae societas, ut ne pauperes quidem una earum carere possint, quippe apud quos servi vices iumentum obtineat.

Atqui compluribus familiis constituta societas primus est vicus, quae quidem societas non in omnem vitae quotidianaem usum (*εἰς πᾶσαν ἡμέραν*) constituitur, sed *χρήσεως ἔνεκεν μηδὲ ἐφημέρου*. c. 2. p. 1252. b. Bkk. Quae verba mirum in modum Lambinus vertit: »non divini usus gratia.« Ac tamen non potest dubium esse, quin inter se opponantur *εἰς πᾶσαν ἡμέραν* et *χρήσεως ἔνεκεν μηδὲ ἐφημέρου*, ita ut, quum domus omnium rerum ad vitam agendam necessariarum perpetua sit consociatio, vicus vel vicinitas iam latius patens eis vitae humanae necessitatibus sufficiat, quae non quotidiano usu circumscribantur. Itaque bene interpretatur Stahrius »welcher über das tägliche Bedürfniss hinausgeht.« Ceterum interpretes, quantum video, praeter Lindavium omnes in eo errant, quod πολιτη̄ referunt ad vocem *κοινωνία*; nam ut omittam, quod, si ita locus accipiendus esset, secundum grammaticae praecepta scriendum foret η — πολιτη̄ κοινωνία, non, ut hic habemus, η — *κοινωνία πολιτη̄*, qui animum adverterit ad id, quod paulo supra dictum est, οἰκία πολιτη̄, is quin hic quoque πολιτη̄ cum *κοινωνίᾳ* coniungi oporteat, dubitare non poterit. De ipsa vicorum ratione non multa disputavit Aristoteles; nec tamen errare mihi videor, si illos in Aristotelis republica eandem aut similem vicem tenere puto, quam αἴται in Lacedaemoniorum, φραγῖαι in Atheniensium habebant civitate. Sunt enim medii inter domus et civitates positi, quare bene ab Aristotele domorum appellantur quasi quaedam coloniae naturae convenienter deductae. Atque multae gentes barbarae in hoc genere societatis manserunt neque ulla unquam vi potuerunt in unum locum congregari aut a fera agrestique vita ad civilem cultum deduci. Quare numquam coeperunt constitutis civitatibus leges aut iura describere, quibus astricti cives tenerentur, sed ut in familia pater plena et summa potentia utitur, ita in hoc vitae genere suo quisque arbitratus et liberis et uxoris imperat. Maxime igitur horum propria est regia illa dominatio antiquitus tamquam hereditate recepta, πατρῷ βασιλεία, quae in fabulis etiam diis attribuitur, ut solent homines non solum formas suas, sed etiam vivendi rationes diis adaequare.

Ex compluribus autem vicis conflata societas iam perfecta est civitas. Hunc quoque locum plerique prave interpretati sunt: nam id quod per grammaticae leges fieri nequit, vocabulo τέλειος cum *κοινωνίᾳ* coniuncto vertunt Lambinus »perfecta autem societas — civitas est«, Stahrius »der aus mehreren Dorfgemeinden (mallem vertisset Bezirken) gebildete letzte Verein aber ist der Staat.« Verum vidit Lindavius, qui vertit: »die Verbindung ... ist erst Staat in vollem Sinne.« Pertinere enim adiectivum τέλειος ad vocem πόλις ex verbis sequentibus satis cognoscitur, ubi haec adduntur: η δὴ πάσης ἔχουσα (quippe quae habeat) πέρας τῆς αὐτοχθονίας. Perfecta enim et absoluta civitas idcirco appellatur, quia summum et integratissimum et incolumentis finem in se ipsa habet, reliquae autem societates imperfectae vocantur quasi quaedam civitatis particulae. Neque pugnat cum hac opinione, quod c. 3. p. 1253. b. etiam familia perfecta appellatur; nam οἰκία τέλειος eo ipso loco est ea familia, in qua nulla pars necessaria deest. Quid? quod sequentibus verbis Aristoteles vocem τέλειος πόλις tam dilucide explicat, ut dubitatio nulla relinquatur. Dicit enim: τέλος γάρ αὐτη̄ (civitas) ἐκείνων, η δὲ φύσις

τέλος ἐστίν· et paulo infra: εἴτε τὸ οὐδὲν καὶ τὸ τέλος βέλτιστον· ἢ δὲ αὐτάρχεια τέλος καὶ βέλτιστον. Sed ne extrema quidem haecce verba prorsus recte interpretatur Stahrius, quippe quae nostro sermone reddiderit: »somit ist auch die Selbstgenügsamkeit der beste Endzweck«; atque in similem errorem incidit Lindavius: »die beste Vollendung ist aber die Selbständigkeit.« Recte Lambinus: »at copia ipsa suis opibus pollens et contenta — finis est et optimum.« Ita se rem habere varia quoque scriptura ab Hilario ex Par. 1857. 2025. 2026., ex vetere translatione latina Guilelmi de Moerbecka et Sepulvedae editione recepta testatur, in qua legitur καὶ τέλος καὶ βέλτιστον. Non enim hoc demonstrare vult Aristoteles, civitatem in se ipsam esse absolutam, sed quia in se perfecta sit, idcirco esse natura. Quam rem quo libentius ita esse concedas, confer paulo supra verba: διὸ πᾶσα πόλις φύσει ἐστίν, quod probare ita pergit Aristoteles, ut civitatem finem esse et perfectionem omnium societatum (τέλος γάρ αὕτη ἐκείνων), naturam autem esse finem doceat. Cfr. praeterea locum insequentem: ἐκ τούτων οὖν φανερόν ὅτι τῶν φύσεις η πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἀνθρώπος φύσει πολιτικὸν ἔφον e. q. s., quibus verbis universam antecedentem argumentationem concludit. Eodem reddit etiam p. 1253. v. 25. ὅτι μὲν οὖν η πόλις καὶ φύσει — δῆλον.

Nunc ut ad ipsas Aristotelis rationes accedam, primum quidem quae sit natura civitatis quidque spectet civium congregatio exponit. Est igitur civitas ea societas, quae in se ipsa perfecta ad incolumentem servandam praeter se nihil desiderat, orta illa quidem et profecta ex vivendi necessitate, constituta autem bene vivendi gratia. Itaque omnis civitas natura constat, si quidem primae illae, ex quibus nascitur, societates ipsae quoque natura constitutae sunt. Illae enim ad hanc spectant, natura autem finis est; nam quale unumquidque est perfecta origine, hanc cuiusque naturam esse dicimus. Quoniam autem natura est civitas, homo natura est animal civile, is autem, qui civitatis est expers (ἀπόλιτος), ipsa natura, non fortunae culpa aut pravus ut animal est aut homine superior ut deus. Eius ipsis rei causa soli homini sermo tributus est; nam ut vox ceteris animalibus data est, ut si quid acciderit aut iucundi aut molesti, inter se significare possint, ita sermo, qui sine ratione esse nequit, proprius est hominum, ut et bonum et malum et iustum et iniustum quid sit, cum ceteris communicent. Denique natura prior est civitas quam familia et unusquisque nostrum. Res enim tota et integra prior sit necesse est quam particula; haec enim sine illa esse non potest atque universa in illa sita et collocata est, qua sublata ipsa depravatur et omnino inutilis est. Quare qui primus civitatem constituit, summorum bonorum is auctor fuit. Nam ut perfectus omnium animantium optimus homo est, ita a lege et iure remotus omnium est deterrimus. Atrocissima enim est iniustitia armis instructa; arma autem sunt homini prudentia et virtus, quibus ad res contrarias uti maxime licet.

Itaque ut paucis omnem Aristotelis argumentationem comprehendam, tres potissimum sunt rationes, quibus civitas omnis continetur. Primum enim civitas in se ipsa absoluta debet esse (αὐτάρχη), quam ad incolumentem societatis tuendam maxime opus est iure (δικῇ) et quae ea tamquam norma astringitur iustitia (δικαιοσύνῃ); deinde civitas natura (φύσει) est constituta eiusque rei causa homo sermone et ratione praeditus est; denique civitas natura prior est quam vicus et domus et singuli homines.

II. De servitute. (Cap. 3 — 7.)

Iam vero Aristoteles postquam superioribus duobus capitibus, quibus ex partibus constet civitas, universe exposuit, ad primam earum partem familiam accuratius considerandam aggreditur. Itaque κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον, quam in initio libri se secuturum confessus est, hoc quoque loco, quaenam primariae sint partes familiae demonstrat; nam, ut ipsa Aristotelis verba exprimam, in minimis particulis (sunt autem ea, ut videmus ex primo capite, ipsa τὰ ἀσύνθετα — ταῦτα γάρ ἐλάχιστα μόνια τοῦ παντός) primum unamquamque rem explorandam esse. Quae quum ita sint, miror verborum ἐπεί δὲ ἐν τοῖς ἐλάχιστοις πρῶτοι ἔκαστον ἡγητέον seq. (c. 3. p. 1253. b.) sententiam Stahrium perturbasse, cum interpretetur: »da nun von den letzten Bestandtheilen die hauptsächlichsten aufgesucht werden müssen.« πρῶτον enim non est adiectivum neque coniungendum cum voce ἔκαστον, sed adverbii vim habet. Neque minimarum illarum particularum alias vult Aristoteles perscrutari, alias omittere, sed de omnibus illis iam uberior disserere; sunt autem illae, ut continuo dicit, tres potissimum rationes, prima herilis, altera mariti et uxoris consociatio, tertia ea quae inter parentem et liberos intercedit. Quibus a nonnullis quarta adiicitur quaestus faciendi via ac ratio τῇ χρηματιστικῇ.

Ac primum quidem de herili condicione dicturus duplarem proponit quaestionem gravissimam, alteram, num omnino illa in artium numero sit ponenda atque qua ratione et ab universa rei familiaris administrandae arte et a rerum civilium scientia et a regii dominatus constituendi disciplina discrepet, alteram, utrum a naturae quadam necessitate profecta iusta sit aequaque servitus an praeter naturam lege instituta in una libidine consistat.

Quarum quaestionum ut priorem absolvat, exorditur a rerum comparandarum ratione, quae quidem ars κτητική ab Aristotele appellata, quum sine rerum necessarium possessione nec vivere liceat nec bene vivere, ad tuendam rem familiarem vel maxime necessaria est. Quemadmodum autem in artibus definitis instrumenta suppeterem necesse est, quibus opus conficiatur, ita etiam familiae administrandae rationi sua quaedam oportet instrumenta parata esse. Hoc loco (cap. 4. p. 1253. b. v. 23. seq. Bkk.) ita Bekkerus singula orationis membra distinguit, ut commate ante voces ὥσπερ δέ posito duas enunciationes priores efficiat, quarum una causam afferat, altera comparationem adiiciat, consequentem autem enunciationem a verbis οὕτω καὶ incipere velit. At dubium esse non potest, quin consequens enunciatio ad solam comparationem antecedentem referenda sit, id quod et sententia loci indicat (quis enim huncce in modum concludere potest: ἐπεὶ ή κτῆσις μέρος τῆς οἰκίας ἐστί καὶ ή κτητική μέρος τῆς οἰκονομίας, οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν ἀναγκαῖον τὰ οἰκεῖα δύγαντα ὑπάρχειν) et ipsa sententiae forma comprobatur; nam οὕτω illud aperte non ad vocem ἐπεί, sed ad ὥσπερ pertinet. Quae quum ita sint, equidem Lambini interpretationem secutus commate ante voces καὶ ή κτητική, puncto ante ὥσπερ δέ posito sic scribendum esse opinor: ἐπεὶ οὖν ή κτῆσις μέρος τῆς οἰκίας ἐστί, καὶ ή κτητική μέρος τῆς οἰκονομίας (ἄνευ γάρ τῶν ἀναγκαῖων ἀδύνατον καὶ εἶναι καὶ εὐεῖν) ὥσπερ δέ ἐν ταῖς ἀφισμέναις τέχναις e. q. s.

Eandem scripturam etiam Schneiderus et Goettlingius receperunt, praeterquam quod cum Ald. Basil. Victor. ἐν post voces ὥσπερ δέ uterque, praeterea Goettlingius, ut mihi quidem videtur, sine iusta causa cum Ald. et Basil. etiam δέ omisit, denique ex Victorii correctione Schneiderus τῷ οἰκονομικῷ pro τῶν οἰκονομικῶν perperam admisit.

Instrumentorum autem quoniam alia sunt inanima, alia animata, ut gubernatori clavus quidem instrumentum est inanimum, progubernator autem animatum, quum possessio sit instrumentum ad vitam agendam necessarium, etiam servus est animata quaedam possessio atque instrumentum quasi quoddam omnibus instrumentis praestantius, ὥσπερ ὁγανον πρὸς ὁγανων, ut omnes administri. Male hacc Stabrius vertit »ein Werkzeug statt vieler«, id quod esset ἀντὶ ὁγάνων. Atque hoc ipsum dicere vult Aristoteles, servum non solum par reliquis esse instrumentum, sed omnium praeclarissimum, quippe quod animatum sit. Recte igitur Lambinus: »veluti instrumentum instrumenta antecedens«, sive ut Victorius, qui pervulgatam, qua infra utitur Aristoteles, vocem δούλος πρὸς δούλου, δεσπότης πρὸς δεσπότου bene comparat, interpretatur: »instrumentum, quod praestat et antecellit ceteris instrumentis.«

Atqui instrumenta quae vulgo appellantur ita comparata sunt, ut ad rem alteram efficiendam valeant (sunt igitur, ut Aristotelis vocabulo utar, ποιητικά), possessio autem ad agendi tantummodo usum pertinet (τὸ δὲ κτῆμα πρακτικόν). Velut radio textorio praeter usum eius res altera efficitur, ex veste autem et lecto usus dumtaxat proficiscitur. Quare quum genere inter se efficiendi et agendi vis differat, quoniam utraque instrumentorum eget, horum quoque eandem oportet differentiam esse. Vita autem quoniam non in efficiendo, sed in agendo posita est, servus ad vitam comparius administer est eorum, quae ad agendum pertinent. Iam vero quum possessio nulla sui iuris esse possit, sed ut pars unaquaque tota sit alterius (cf. p. 1253. v. 20. seq.) eius qui possidet, pari ratione servus non solum servus est domini, sed omnino illius est; contra dominus servi est ille quidem dominus, sed illius non est. Unde efficitur, natura servum esse eum, qui homo quidem, sed natura non sui, sed alterius sit; alterius autem is homo est, qui quamquam homo est tamen ab altero possidetur.

Sequitur quaestio altera eaque gravissima, utrum talis aliquis sit natura necne, et utrum aequum iustumque sit servire alteri an omnis servitus cum natura pugnet. At non difficile est hanc rem et ratione contemplari et ex eis quae fieri solent intelligere. Nam imperare et parere imperio non solum in necessiarum verum etiam in utilium rerum numero sunt; atque a prima statim origine nonnulla ita inter se distant, ut alia ad imperandum, alia ad parendum composita sint. Quumque multa sint et imperantium et parentium genera, semper eo praestabilius est imperium, quo praestabiliores sunt ei qui continentur imperio; melius enim id opus est, quod conficitur a melioribus. Ubi autem alterum imperat, alterum paret, existit horum aliquod opus. Nam quaecunque ex pluribus quum constant partibus sive continuis sive disiunctis unam rem integrum et communem efficiunt, in omnibus eis duo cernuntur, alterum id quod imperat, alterum id quod paret. Haec sententia cum antecedenti minus bene cohaeret; nam si diligentius animum adverteris ad id quod dicit philosophus, facile intelliges hanc esse eorum quae antecedunt causam non posse, itaque non cum illis per parti-

culam γάρ coniungi. Contra arctissime haec nexa sunt cum sententia ea, quae verbis expressa est εὐθύς ἐκ γενετῆς ἔναι διέστηκε τὰ μὲν ἐπὶ τὸ ἀρχεῖον τὰ δὲ ἐπὶ τὸ ἀρχεῖον. Accedit quod ipsa ea, quae inter has duas sententias interposita sunt, ab huius loci argumentatione paulo sunt remotiora; quid enim attinet, quot sint genera parendi et imperandi, inquirere, ubi nondum de ipsa parendi et imperandi notione satis constat? Quare omnia illa inde a verbis καὶ εἰδη πολλά — usque ad verba ἔστι τι τούτων ἔγχον uncis includenda esse puto, quippe quae ex alio, de quo paulo infra disputabo, in hunc locum temere et per errorem translata sint. Sed etiam ea quae iam subsequantur non dubito quin corrupta sint. Sunt enim verba haecce p. 1254. v. 31. seq. Bkk. καὶ τοῦτο ἐν τῇς ἀπάσῃς φύσεως ἐνυπάρχει τοῖς ἀμφύχοις. Ubi equidem recte ex Thomae interpretatione Victorium mutasse puto ἀψύχοις, id quod Zwingerus quoque retinuit, praeterea ante vocem τοῖς insero particulam καὶ. Quam emendationem, si est appellanda emendatio, tota huius loci ratio postulat. Quid enim vult Aristoteles? Nempe eam rationem, ut alterum imperet, alterum pareat, secundum universam naturam (ἐν τῇς ἀπάσῃς φύσεως) intercedere etiam eis rebus, quae inanima sint; nam etiam in eis, quae sint vitae expertes, inesse aliquod imperium, veluti in vobis concordia. Ita bene se habent omnia. Contra si antiquam a Sylburgio restitutam scripturam retinueris, quam contorta, ne dicam absurdia omnia! Lambinus vertit: »atque hoc ex omni natura in animatis inest maxime«, et similiter Stahrius: »und dies ist — vorzugswise bei den beseelten Wesen der Fall.« At ubinam legitur istud »maxime«? nulla erit recusatio, quin cum Conringio addas μάλιστα vel καὶ μάλιστα. Quae insequuntur καὶ γάρ ἐν τοῖς μὴ μετέχουσι ζωῆς ἔστι τις ἀρχή « causae vicem explent; qui autem probari potest, in rebus animatis imperandi et parendi rationem inesse propterea quod etiam in rebus vitae expertibus idem fiat? Hoc vidit Giphanius, qui omnia haec verba καὶ τοῦτο — ἀμφύχοις suspecta habuit, et Goettlingius, qui γάρ illud delendum, totam autem hanc sententiam usque ad verba ἐξιτερικωτέρας ἔστι σκέψεως uncis includendam putat. Quod sine dubio audacius factum erit, quam si levissimam illam coniecturam acceperis. Accedit quod etiam verba sequentia tali argumentationi vehementer repugnant. Nam quum pergit dicere Aristoteles ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἵνας ἐξιτερικωτέρας ἔστι σκέψεως τὸ δὲ ἔγχον seq.«, luculentissime appetet hucusque eum de rebus inanimis esse locutum; quibus, quoniam a loci huius consilio aliena sunt, omissis nunc demum de rebus animatis accuratius disserere conatur.

Totius enim rei caput in eo positum esse Aristoteles putat, quod, ut universa animalia ex anima et corpore constant, quarum partium, nisi forte depravatae atque in contrarium conversae sint, illa ad imperandum, haec ad parendum natura sit constituta, ita quum ipsa anima partes duas comprehendat, mentem cupiditati imperare conducat utrique, sin contra fiat, utrique vel maxime perniciosum sit. Idem porro homini accidit ceterisque animantibus; quorum quum cicures feris natura praestent, tum omnibus melius est hominis parere imperio. Praeterea quum mas natura sit praestantior, femina deterior, illum quidem imperare, hanc parere decet; atque eandem rationem inter omnes homines intercedere oportet. Quamobrem quicunque tantum distant, quantum anima a corpore et homo a bestia, hi sunt natura servi; distant autem tanto

intervallo a ceteris omnes ei, quorum munus in corporis usu positum est quorumque hoc unum optimum est. Ubi quum dubium esse nequeat, quin a ceteris hominibus, i. e. a dominis, distare servi dicantur, miror verba δόσοι μὲν οὐδὲ τοσοῦτοι διεστάσειν (p. 1254. b. v. 16. Bkk.) ita Stahrium interpretatum esse, tamquam intelligendum sit ἀπ' ἀλληγόρων. Neque vero inter se ipsi servi tantum distant, sed recte vertit Lambinus: »tanto ceteris hominibus sunt inferiores.« Est enim natura servus is, qui potest alterius esse (cf. cap. 4. p. 1254. v. 20. seq.), et qui rationis eo usque compos est, ut sentiat illam quidem, sed non habeat; nam cetera animalia rationi non obsequentia affectibus inserviunt. Neque usus servorum et animalium multum differt; nam et servi et cicures bestiae corpore ad res necessarias conducunt. Vult igitur natura etiam corpora servorum et liberorum inter se differre, ut illa quidem ad usum necessarium valida sint, haec erecta et ad talia opera inutilia, apta autem ad vitam civilem, sed saepenumero contrarium accidit, ut alii corpora habeant liberorum, alii animas. Nam si essent, qui corpore ceteris hominibus tanto praestarent, quanto deorum imagines, nemo profecto negaret his servire omnes oportere. Quanto igitur rectius idem de animis valet! At non aequa facile est animae pulcritudinem atque corporis cernere.

Hac igitur ratione, in qua quinam errores inesse videantur in fine huic disputacionis demonstrabimus, postquam esse aliquam servitutem natura constitutam eorum docuit, qui natura ad parentum nati sint, ita ut expeditat eis servire non minus quam dominari domino, iam capite 6. perscrutari atque evertere Aristoteles conatur eorum rationes, qui iniustum esse servitutem contendunt. Quod qua ratione fecerit quum non prouersus planum nec ad intelligendum satis facile sit, operae pretium erit paulo diligentius contemplari. Ac primum quidem recte illos quodammodo dicere concedit, deinceps omnem controversiam in eo versari docens, quod, quid iustum sit quid iniustum, parum dilucide decernentes servitutem natura constitutam cum ea, quae vi aut lege fiat, confundant, iniustum eorum servitutem esse demonstrat, qui natura ad serviendum non nati tamen belli iure in servitutem redacti sint; itaque illos ipsos, qui iustum esse servitutem negent, nihil aliud quaerere quam id quod natura servile sit ($\tauὸ \varphiύσει δοῦλον$). — Ut ad singula transeamus, primum Aristoteles duplarem serviendi et servorum condicionem statuit, alteram eorum, qui natura ($\varphiύσει$) ad parentum nati sint, alteram eorum, quibus lege ($\chiατὰ νόμον$) serviendi necessitas imponatur. Legem enim esse pactum quendam conventum, secundum quem ea, quae bello capiantur, eorum, qui ceperint, esse dicantur. Hoc igitur ius nonnullis summam videri esse iniuriam, quoniam minime ferendum sit, id cui vis illata sit, ei qui vim intulerit viribusque antecellat, subiectum esse atque parere imperio. Itaque duas inter se etiam sapientium sententias esse oppositas, eorum qui in ipsa vi et necessitate ius servitutis positum putent, atque eorum, qui tale ius nullo modo ferendum esse opinentur. Cuius controversiae causam esse, quod et virtus opibus instructa quodammodo etiam vim inferre vel maxime possit et ipsum illud, quod viribus sit superius, alicuius virtutis praestantia praeditum esse videatur, ita ut ipsa vis non sine virtute esse possit, sed id unum ambigatur, quid iustum sit. Dicit igitur Aristoteles, ne eos quidem, qui servitutem lege aut vi aliqua necessitatis oriri putent, a natura posse recedere; neque

enim quemquam ita esse insipientem, qui vim omnis virtutis expertem dominari posse existimet. Quum autem is qui vim possit alteri inferre, natura altero sit superior, idcirco nonnullos putare illi imperium concedendum esse; contra alios qui vim virtutis expertem statuant, ea ipsa causa servitutem vi natam improbare. Itaque utrosque hoc consentire, solam virtutem ad imperandum esse idoneam, contra id quod natura sit inferius, parere aequum esse; dissentire autem de eo quod iustum sit. Alteros enim iustitiam putare in bonarum legum constitutione positam esse, alteris id ipsum videri iustum esse, ut qui viribus sit superior imperet. Hoc loco (cap. 6. p. 1255. v. 17.) in gravem dubitationem incurri, utrum cum Lambino scribendum esset τοῖς μὲν εὐνομίᾳ δοκεῖ τὸ δίκαιον εἶναι an cum vulgata σύνοια; utrumque enim bonam sententiam videatur exhibere. Nam qui vulgatam scripturam tueatur, is suo quodam iure dixerit, quoniam is qui natura superior sit, facili negotio imperium arripere possit, reliquum esse hoc unum, ut benevolentia, quae quidem cum virtute coniuncta sit, quominus iniuste et violenter agat contineatur. Neque tamen iterum ac saepius rem consideranti prorsus mihi haec satis facere potuerunt. Quum enim toto hoc loco de legibus sit disceptatio quumque eidem illi, quorum de iusto opinio hic assertur, id ius, quod in vi positum sit, iniustitiae accusare supra dicantur (τοῦτο δὴ τὸ δίκαιον πολλοὶ τῶν ἐν νόμοις — γράφονται παρανόμων), equidem commoveor, ut alteram scripturam εὐνομίᾳ praferandam esse censem. Ita quum non in qualibet lege, sed in bonarum legum constitutione ius positum esse putent, quo pacto differant ab iis qui et ipsi lege, sed ea lege, ἐν τὰ κατὰ πόλεμον κρατουμένα τῶν κρατουμένων εἶναι φασιν, sive, quod idem valet, τῷ τὸν κρείττονα δόχειν ius contineri contendant, facile est ad intelligendum. Ceterum Schneiderus, qui duram esse dictionem τὸ δίκαιον εὖνοια δοκεῖ τὸ δίκαιον εἶναι. At διὰ τοῦτο nec ad τὸ δίκαιον nec ad aliam antecedentem vocem singularem pertinet, sed ad universam sententiam »διὰ τὸ δοκεῖν μὴ ἀνευ ἀρετῆς εἶναι τὴν βίαν, ἀλλὰ περὶ τοῦ δικαιού μόνον εἶναι τὴν ἀμφισβήτησιν.«

Nec minor difficultas in sequentibus inest verbis ἐπεὶ διαστάντων γε χωρὶς τούτων τῶν λόγων — ἀρχεῖν καὶ δεσπόζειν. Quae quidem, ut omittam varias virorum doctorum interpretationes, quibus obscuravisse potius quam illustrasse videntur loci haud ita intricati sententiam, Stahrius cum Goettlingio puncto ante ἐπεὶ posito cum sequentibus δἰως δὲ ἀντεχόμενοί τενες e. q. s. construit. Quam sententiam ut tueatur, post ἐπεὶ particulam δέ putat intercidisse; et profecto, si vera eius esset opinio, non solum hoc fieri necesse esset, sed etiam infra δὲ post δἰως deleri. At ego ut cum illo faciam, nullo pacto adducor; neque enim omnino loci sententiam recte videtur perspexisse. Vertit enim ita: »da nun von diesen entgegengesetzten Ansichten die Gründe für die eine, dass nämlich das an Tugend Bessere nicht regieren und herrschen müsse, weder Halt noch überzeugende Kraft haben, so halten sich einige unbedingt an cet.« Genetivum igitur illum διαστάντων χωρὶς τούτων τῶν λόγων putat esse partitivum, ut hoc artis vocabulo utar, sententiam autem eorum, qui ei quod praestet propter virtutem

imperium deberi negent, unam esse ex duabus illis sententiis, quas de iusto exstare supra demonstratum est. Qua in re vehementer mihi videtur errasse. Nam primum quidem recte dici διαστάντων τῶν λόγων pro τῶν διαστάντων λόγων haud facile concesserim; deinde quod maioris momenti est, ubi tandem dixit Aristoteles nonnullos censere, ἃς οὐ δεῖ τὸ βέλτιον καὶ ἀριστήν ἄρχειν καὶ δεσπόζειν? Imo vero aperte demonstravit, quibusdam ius esse videri bonarum legum constitutionem, aliis id ipsum, ut is imperet, qui natura sit superior. His igitur positis sententiis omnino refellendos dicit Aristoteles eos esse, qui tertium illud, de quo disceptationem existere nullam existimavit, iudicent. Ac ne quis contra dicat, ἀπεριλόγοι non esse posse tertiam sententiam, sed alteram, eum reputare velim omnino hoc loco duas sententias primarias inter se opponi, alteram eorum, qui virtutem vi praeditam aut vim virtute ornatam imperare velint, alteram eorum, qui idem negent; istae igitur sunt alterae rationes (ἀπεριλόγοι), quibus refutatis ut ineptis et ad persuadendum parum accommodatis alteros illos qui de virtutis vi consentiant, in duas partes discedere exponit de eo quod iustum sit. Quae quum ita se habeant, non dubito quin recte Bekkerus commate ante ἐπεῑ posito sequentem sententiam cum antecedente comprehenderit. Nec minus recte Lambinus interpretatus est: »nam dissidentibus et pugnantibus inter se his rationibus«, ita ut genetivum illum esse absolutum iure censuerit.

At nova deinceps exoritur dubitatio in verbis sequentibus δῆλως δ' ἀντεκόμενοί τενες κ. τ. λ., non quo vehementer haesitem, num pro δῆλως cum aliis codicibus ἀμα aut ἀπλῶς scribendum sit; nam illud δῆλως librorum auctoritate ita videtur confirmari, ut dubitatio omnis tollatur, praesertim quum ἀμα omnino languidum sit, ἀπλῶς autem glossemati ad vocem δῆλως explicandam in margine ascripto non sit dissimile. Quid igitur sibi vult illud δῆλως? Aristoteles contrariis de iuris notione sententiis commemoratis iam ultra vera sit, quia non est huius loci, explorare omittit; sed quoniam, quamvis inter se discrepant, de hoc certe consentiunt, quod ius lege quadam contineri (ὁ γάρ νόμος δίκαιον τι) censem (*), aut remoto aut neglecto isto discrimine nonnullos dicit iure quodam nitentes bello partam servitutem partim statuere iustum esse partim negare. Iustum enim esse servitutem, si causa et origo belli iusta, i. e. lege constituta fuerit atque si is, qui in servitutem redigatur, natura ad parendum compositus sit; contra iniustum esse, si causa fuerit bellorum iniusta atque aliquis servire cogatur, qui ea sorte indignus sit; neque enim unquam eum qui non natura ad serviendum aptus sit, servum fieri posse. Hac autem ratione quoniam ipsas adversariorum rationes per se stare non posse, sed, ut sententiam suam sustentent, vel invitatos illos ad insitum aliquod hominibus ingenium aufugere ostendit, reddit iam Aristoteles ad id quod capite antecedente de servitute natura constituta uberior exposuit, eumque tantummodo verum esse servum contendit, qui servili ingenio sit. Quare homines Graecos nullo modo posse servos fieri, barbaros ipsa indole ad serviendum esse paratos. Itaque et iustum

*.) Ceterum hoc quoque loco adducor, ut supra εὑρομία, non εὑροῖα legendum esse censem; nam si εὑροῖα vera scriptura esset, non posset hoc loco illa sententiarum differentia negligi, contra qui εὑρομία exigitat τὸ δίκαιον esse, is lege ius contineri nullo modo negabit.

esse servire et conducere non minus quam dominis imperium eis, qui sui iuris esse nequeant; contra qui non natura, sed lege et vi coacti praeter naturam servi fiant, in eos contrarium cadere.

Restat, ut quaestionis supra propositae (cap. 3. p. 1253. b. v. 19. seq.) pars altera absolvatur, utrum omnia imperandi genera sint eadem an sit inter ea aliqua differentia. Hoc loco quamquam vereor, ne cui nimis temere videar agere, tamen dicam, quid sentiam: eum enim locum, quem supra (cap. 5. p. 1254. v. 24. — 28.) eieci, hic post ὥσπερ τινές φασιν inserendum esse puto. Nam hoc demum loco de variis imperii generibus Aristoteles disputat, quae quidem multum inter se differre ex iis, quae in fine capituli sexti exposuit, iam satis constat. Nam quum ipsa eorum, qui parent, ingenia varia sint atque diversa, sequitur eadem ratione imperandi genera inter se differre atque eo praestantius esse imperium, quo meliores sint ei quibus imperetur. Ac plurimum quidem inter se distant herile imperium et civilis principatus, quippe quorum illud ad servos, hic ad liberos pertineat. Ubi miror Stahrium verba ή δέ πόλεμων ἐλευθέρων καὶ ἵστην αἰχμή interpretatum esse »Herrschaft Freier und Gleicher«; neque enim hoc queritur, quales sint ei qui imperent (eos enim non posse non liberos esse satis constat), sed quales sint ei, quibus imperetur. Est igitur genetivus ἐλευθέρων καὶ ἵστην non qui dicitur subiectivus sed obiectivus, ut supra genetivi ή μὲν γὰρ ἐλευθέρων φύσει, ή δέ δούλων ἔστιν.

Denique Aristoteles, quamquam nec dominus nec servus nec liber ex eo appellentur quod scientiam aliquam habeant, sed quia tales natura sint, tamen esse aliquam et herilem et servilem scientiam eamque esse unam atque eandem demonstrat. Nam quae facere servus sciāt oportet, ea praecipere dominum scire convenit; omnis enim domini scientia in usu servorum, non in comparatione posita est, rerum autem comparandarum scientia (η κτητική) ab illarum utraque multum differt, »ut quae sit veluti quaedam ars rei militaris iusta aut ars venandi.« Ita commate, quod Victorium secuti posuerunt Schneiderus, Goettlingius, Stahrius, Bekkerus, post δικαία deleto verba ή δέ κτητική ἐτέρα ἀμφοτέρων τούτων, οἷον η δικαία πολεμική τις οὖσα η Στρατική recte Lambinus, Aretinus, Giphanius, reliqui interpretati sunt. Quae quominus aliter accipiamus, et particula οἷον prohibet, quippe quae comparationem indicet, et totius loci sententia repugnat. Neque enim ars rerum comparandarum (κτητική) comparari potest cum iusta eiusdem artis ratione, sed omnis ea ars cum iusta rei militaris condicione comparatur; neque profecto iusta rerum comparandarum ars apte quaedam rei militaris ars potest vocari, nisi additum fuerit, iustum rei militaris rationem significari. Quae res quo luculentius appareat, conferas velim quae supra (cap. 6. p. 1255. v. 23. seq.) de servitute bello parta constituit, quam iustum dicit esse, si bellorum iustum fuerit principium, si iniustum, iniustum. Eadem prorsus ratione infra (cap. 8. p. 1256. b. v. 23. seq.) η πολεμική φύσει κτητική πως appellatur, i. e. non omnis belli gerendi ratio, sed iusta et legitima, qua adversus feras utamur eosque homines, qui natura ad parendum nati servire nolint, ὡς φύσει δίκαιου τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον.

IV. (*) De patria potestate atque de ea condicione, quae inter virum et mulierem intercedit. (Cap. 12.)

Quum tres fuerint rei familiaris administrandae partes (cf. cap. 3. p. 1253. b v. 5. seq.), aut si quis quaestus faciendi rationem illis annumeraverit, quattuor, quumque de prima earum et quae cum ea coniunctissima est quarta cap. 3.—11. satis copiose disputatum sit, reliquum est, ut de duabus quae inter patrem et liberos atque inter virum et mulierem intercedant rationibus Aristoteles disserat. Quam rem leviter tantummodo et succinete attingit, quod uberior et accuratius de hoc genere dicendum sit, ubi de singulis reipublicae administrandae generibus actum fuerit; prout enim singularum civitatum condiciones constitutae sint, ita et liberos instituendos esse et mulieres. De qua re cf. finem huius libri (cap. 13. p. 1260. b. v. 9. seq.), ubi haec dicit:

περὶ δὲ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς καὶ τέκνων καὶ πατρός, τῆς τε περὶ ἐκαστον αὐτῶν ἀρετῆς καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμολίας, τί τὸ καλῶς καὶ μὴ καλῶς ἔστι, καὶ πῶς δεῖ τὸ μὲν εὖ διώκειν τὸ δὲ κακῶς φεύγειν, εὐ τοῖς περὶ τὰς πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν· ἐπεὶ γάρ οἰκία μὲν πᾶσα μέρος πόλεως, ταῦτα δὲ οἰκίας, τὴν δὲ τοῦ μέρους πρὸς τὴν τοῦ ὄλου δεῖ βλέπειν ἀρετήν, ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας παιδεύειν καὶ τοὺς παῖδας καὶ τὰς γυναικας, εἴπερ τι διαφέρει πρὸς τὸ τὴν πόλιν εἶναι σπουδαῖαν καὶ τοὺς παῖδας εἶναι σπουδαῖους καὶ τὰς γυναικας σπουδαῖας. ἀναγκαῖον δὲ διαφέρειν· αἱ μὲν γάρ γυναικες ἥμισυ μέρος τῶν ἐλευθέρων, ἐκ δὲ τῶν παίδων οἱ κοινωνοὶ γίνονται τῆς πολιτείας.

Itaque hoc loco de potestate tantum exponit ea, quae patri in liberos, viro in mulierem concedenda sit. Imperat enim vir et mulieri et liberis, ambobus quidem ut liberis, sed non eodem imperii genere, sed mulieri quidem civiliter, liberis autem regie. Ita hunc locum expresserunt interpretes (**) recepta pro vulgata ἀρχεῖν Giphannii conjectura ἀρχεῖν. Quod verum esse non magis mihi persuadere possum quam Bekkerus, qui etiam in altera editione tacite retinuit ἀρχεῖν. Qui enim, si legatur ἀρχεῖ, omitti potuerit aut ἀντίο aut ut infra habemus τὸ ἀρχεῖν, equidem non video. Ac perturbatam quidem totam esse huius sententiae constructionem non est quod amplius demonstretur; neque tamen idcirco emendatione opus esse facile quisquam contendet. Nam quum dicturus esset Aristoteles νῦν (ἡδη) σκεπτέον περὶ τῶν ἀλλων μισθῶν aut simile aliquid, ut quale esset et mulieris et liberorum imperium quaque ratione a servili dominatione differret, continuo adderet, interrupto orationis tenore ad ipsam rem aggredi coepit, id quod sexcentiens fieri solet apud scriptores vel optimos. Infinitivus autem ἀρχεῖ positus est pro substantivo ἀρχή sive γένος ἀρχῆς;

*) Sequitur apud Aristotelem cap. 8.—11. pars tertia, qua agitur de quaestus faciendi via ac ratione (περὶ τῆς χρηματιστικῆς). Sed quum certis quibusdam eisque angustioribus finibus, quos transire mihi quidem non licet, hoc scriptorum genus circumscriptum sit, ut ad aliquem tamē finem res instituta adduceretur, omissis eis, quae de parte illa gravissima et difficillima disserui, vel potius ad alium locum aliudque tempus dilatis, ad reliquas quaestiones, quae cum prima et altera artius connexae sunt, quam ut ab illis disiungi posse videantur, continuo accessi.

**) Unus, quantum video, Lindavius recte loci huius rationem perspexit, etsi ipsa verba non satis accurate nostro sermone reddidit.

supplenda igitur est copula ἔστι, quae forsitan in initio enunciationis per errorem interciderit, ita ut scribi oporteat ἔστι γάρ καὶ γυναικός ἀρχεῖν καὶ τέκνων.

Mulierum igitur et liberorum imperia ita inter se differre dicuntur, ut alterum comparetur cum magistratum in civitate libera potestate, alterum cum regali dominatu. Quod autem in civili principatu fieri soleat, ut alherent vicissim ei qui imperent et ei qui pareant, id in mariti potestate longe duliter se habere; nam genus masculum quum sit natura ad imperandum aptius, nisi forte naturae condicio perversa sit, semper imperium exercere. Contra liberarum civitatum eam conditionem esse, ut aequales esse natura velint et magistratus et cives ceteri. Haec verba ἐξ ἴσου γάρ εἶναι βούλεται τὴν φύσιν seq. Stahrius interpretatur: »denn der Begriff Bürger verlangt natürliche Gleichheit«; ut igitur supra in sententia καὶ γάρ γυναικός ἀρχεῖν temere addidit τὸ ἀρχεῖν, ita hic supplevit τὸ πολιτικόν vel ἡ πολιτικὴ ἀρχή. Simili ratione interpretatur Lambinus: »civis enim aequalis debet esse natura«, atque non multum ab eo discrepans Victorius: »par enim et aequalis natura civium esse debet.« Quod quo iure fecerint videant. Nam quod Aretinus vertit »nam aequales esse volunt«, non est quod suspiceris legisse eum βούλονται; bene se habet βούλεται, etiamsi cum Ramo, qui vertit »aequalique iure et princeps et subditus esse — velit«, suppleamus τὸ ἀρχοντικόν καὶ τὸ ἀρχόμενον, praesertim quum non de ipsis personis, sed de personarum notionibus mentio fiat. Iure autem Stahrius Aretini et Veteris interpretis reprehendit versionem »secundum naturam«; neque enim illud rei est caput, sed hoc dicit Aristoteles, natura eos velle aequales esse, ut sint revera, νόμῳ autem vel θεοῖ differre, aut ut paulo infra addit τοκτίωσι καὶ λόγους καὶ τημοῖς.

Alia est regis ratio, qui quamquam genere est aequalis, natura ceteris excellit; quod nisi acciderit, iniustum esse regnum infra docet Aristoteles, ubi uberior de regno loquitur. Eandem igitur rationem natura intercedere inter parentem et liberos et omnino inter seniorem et iuniorem. Ubi p. 1259. b. 13. seq. verba »διὸ καλῶς Ὅμηρος τὸν Δία προστηγόρευσεν εἰπών «πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε «τὸν βασιλέα τούτων ἀπάντων«, non recte reddit Stahrius »daher nannte passend Homeros den Zeus — den König dieser Aller.« Nam ut omittam articulum τὸν (βασιλέα), quem, si hanc interpretationem statuerimus, deleamus oportet, non regem Homerus Iovem appellat, sed patrem. Quare aut recte Vetus interpres additum legit πατέρα εἰπών (regem horum omnium patrem dicens) aut in Leonardi Aretini sententiam discedi oportebit, qui vertit »sic appellans omnium regem.« Ita enim τὸν βασιλέα per appositionem ad τὸν Δία additum erit, neque vero, quomodo appellatus sit Juppiter, hoc nomine significabitur, quippe quod iam satis verbis poetae »πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε« expressum sit. Prorsus eadem ratione Lambinus locum interpretatus est: Iovem hoc nomine appellavit — qui horum omnium rex est.

V. De servorum virtutibus. (Cap. 13.)

In ultimo libri primi capite duae potissimum quaestiones gravissimae inferuntur, altera, utrum servi virtutum sint participes an eis rebus praeditos esse illos satis sit, quae ad serviendum pertineant, altera, numquae sint et quales sint etiam liberorum et

mulierum virtutes. Atque quum, ut supra vidimus, haec altera quaestio in sequentibus libris uberioris tractanda sit, copiosius de priore tantummodo parte hoc loco disputatur. Hic querat forsitan aliquis, qua causa hoc demum loco de servorum virtutibus Aristoteles disserat, non eo, quo universam servitutis rationem subtilius exposuit. At tantum abest, ut idcirco ordinem capitum in hoc libro perturbatum esse censeam, ut nullo alio pacto melius et aptius agere Aristotelem potuisse contendam. Nam primum quidem de servorum virtutibus, num quae essent et quales essent, non prius poterat disputare, quam de universa rei familiaris administrandae ratione quid sentiret statuisse; quae quum ex hominum et inanimarum rerum, quas divitias appellamus, possessione constet quumque in illis plus studii maiorque industria ponenda sit quam in altero possessionis genere, nunc demum cognita universa doctrina penitusque perspecta quaeri potest, ecquae praeter eas, quae ad serviendum resque conficiendas necessariae sint (*παρὰ τὰς δογματικὰς καὶ δικαιονικὰς*) aut praeter ea ministeria, quae sola corporis vi et facultate expleantur (*παρὰ τὰς σωματικὰς ὑπηρεσίας*), laudabiliores quaedam et honoratores reperiantur servorum virtutes, ut temperantia, fortitudo, iustitia, aliae. Porro haec de servorum virtute disputatio separari non potest ab universa illa quaestione, num propriae sint quaedam et liberorum et mulierum et omnium eorum, qui imperio continentur, virtutes.

Quibus positis ut ad ipsam hanc ultimam Aristotelis argumentationem accedamus, duplex de servis oritur dubitatio. Etenim sive sunt virtutes servorum propriae, quo pacto different ab hominibus liberis? sive non sunt, quum sint homines eique rationis compotes, quis non iure miretur? Eadem paene aut similis erit difficultas, si de mulieribus et liberis quaeretur, utrum horum sint quaedam virtutes atque oporteat mulierem esse temperantem et fortem et iustum an non esse oporteat; item utrum puerum referat esse aut intemperantem aut temperantem an nihil referat. Atque universe hoc considerandum est de eis qui parent et de eis qui imperant, utrum eadem sint eorum virtutes an aliae. Nam si utrosque oportet virtutis praecipuae (*καλοκογόδιας*) compotes esse, qui tandem illos quidem imperare oportet, hos parere perpetuo? Dixerit quispiam, non genere virtutum utrosque differre, sed eo quod aut magis aut minus virtutum sint participes. Quod fieri nullo modo potest, si quidem, id quod supra demonstratum est, ipsae parendi et imperandi notiones genere inter se differunt, quantitas autem (ut hoc vocabulo utar) ad genus nihil pertinet. Atqui ne hoc quidem concedi potest, si alteruter virtutis particeps sit, nihil ultra requiri; sive enim is qui imperat non temperans et iustus erit, quomodo imperabit bene? sive is qui paret, quomodo parebit bene? intemperans enim et ignavus si fuerit, nihil eorum perficiet quae fieri opus est. Hoc loco p. 1259. b. v. 38. leviter offendo in verbis εἰ δέ τὸν μὲν δεῖ τὸν δέ μη. Quae Lambinus interpretatur: »quod si alterum quidem probitatis esse partipem oportet, alterum non oportet«, et ipse Stahrius verbis plane convenienter: »Soll aber der Eine daran Theil haben und der Andere nicht.« Ita τὸν μὲν referendum erit ad unum eum qui imperat, τὸν δέ ad eum qui paret. At si ita est, ut dominum nullo modo virtutis egere posse statuerit, qui tandem verbis sequentibus Aristoteles interrogare potuit: εἴτε γαρ ὁ ἀρχῶν μη̄ ἔσται σώφρων καὶ δίκαιος, πῶς ἄρεται

καλῶς; Itaque quamquam aliquid in mea interpretatione molesti inesse non negaverim, tamen, si integer locus est et incorruptus, reliquum erit hoc unum, ut et τὸν μὲν et τὸν δέ ad utrumque et servum et dominum referamus; qua causa adductus supra posui: satis esse, si alteruter virtutis particeps sit.

Sequitur utrumque virtute esse debere praeditum, sed eas esse virtutum differentias, quales in ipsis illis insint, qui natura aut imperent aut pareant. Ubi non assentior Stahrio ex Lambini interpretatione verba ἀρχόντων καὶ ante ἀρχομένων p. 1260. v. 4. inserenti; qui ut bene sententiae vim perspexit, ita in eo videtur erravisse, quod Aristoteli homini brevitatis studioso addenda ista fuisse putaret. Apertum est enim, omne hoc loco momentum ponи in eis qui pareant, quum in dominis inesse virtutes oportere nihil fuerit quod demonstraretur longius. Quare quum de differentia servorum loquatur Aristoteles, cui potest dubium esse, quin eam differentiam dixerit, qua discrepent a dominis?

Quemadmodum autem in initio huius disputationis ita iustum esse et aquam et salutarem servitutem demonstrare conatus erat, ut similitudine ab animae humanae condicione petita (*) hominum alios ad imperandum, alios ad parendum natura esse comparatos doceret, ita hoc loco Aristoteles eodem argumento usus qualis sit illa virtutum differentia explicat: namque ut in anima alterius partis ratione praeditae alterae sint virtutes, alterae eius partis, quae ratione careat, ita virtutes eorum hominum esse alteras, qui imperent, alteras eorum qui pareant, sed non eodem modo. Alio enim modo liberum servo, alio marem feminae, alio virum puero imperare; atque quum in eorum unoquoque animae insint partes, servum quidem consultandi facultate omnino carere, feminam non carere illam quidem, sed ad perficienda ea quae cogitaverit non esse idoneam, puerum denique praeditum quidem esse consilii capiendi facultate, sed imperfecta illa necdum corroborata. Unde sequi eandem esse virtutum et congruentem rationem et servi et mulieris et pueri; participes enim omnes esse virtutum, sed neque eodem modo et quantum unicuique eorum conveniat ad suum ipsius munus obeundum. Contra in domino perfectam inesse oportere virtutem moralem; nam omnino perfectionem operis esse artificis, mentem autem esse artificem. Postremo reprehendit Aristoteles Socratis rationem, qui unam esse atque eandem in omnibus virtutem docuerit; contra tenendum, varia esse virtutum genera eaque ad uniuscuiusque et naturam et munus accommodata. Quae quum ita sint, et pueri virtutem non ad ipsum referandam

*) Dubitari potest, quomodo verba καὶ τοῦτο εὐθὺς ὑφίγηται περὶ τὴν ψυχήν explicanda esse videanter. In quibus qui Aretini interpretationem «in animo inspicitur», acceperit, is corruptelam inesse confitebitur; nec aliter faciet, qui Veteris Interpretis versionem «exemplificatur» aut Lambini «atque hoc statim in anima promptum atque explicatum est» aut alios interpres sequi voluerit. Neque mihi persuasit Victorius, qui verbum ὑφίγηται vi passiva acipendum putat, aut Schneiderus, qui ex antecedente vel sequente φύσει facile ἐφ φύσις repeti posse existimat. Bene quidem Stahrius loci sententiam videtur assecutus esse, «und darauf wird man gleich von vorn herein bei der Seele geführt», sed quomodo ex ipsis verbis haec sententia erui possit, equidem non intelligo. Neque tamen in verbo ὑφίγηται quidquam falsi inesse putaverim, sed post ὑφίγηται intercidisse τι, ita ut τὰ περὶ τὴν ψυχὴν subiectum sit, τοῦτο obiectum.

esse, sed ad virum qui iam confirmata aetate sit (*), et ad eum a quo instituatur, nec minus servi virtutem in ea ratione cerni, quam adversus dominum observet. Itaque mediocrem in servo virtutem requiri et tantam, ut ne quid per intemperantium aut ignaviam in munere explendo delinquit.

Ceterum non possum facere, quin hoc loco paululum subsistam atque in quanam re omnis Aristotelis de servitute error positus sit, paucis exponam. Errare enim Aristotelem haud facile quisquam infitiabitur, nisi qui etiam nostra aetate servitutis volunt erit esse vindicta atque defensor. Ac tamen quaecunque disputavit Aristoteles, tam bene inter se convenient ad eam animae humanae naturam videntur accommodata esse, ut si primum ei concesseris argumentum, vix usquam errati eum possis coarguere. Sed in eo ipso erroris inesse fontem atque originem puto, quod a diversis illis animae partibus profectus eandem rationem ad universum genus humanum transluit. Qua re ad tantam atrocitatem, ne dicam insaniam abripitur, ut servo omnino consultandi facultatem denegat (*διὰν γάρ δούλος οὐλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν*). Quod si quis concederit, iam non dubium erit, quin nonnulli homines, quos supra barbaros esse universe dixerat, ad serviendum natura destinati sint. Eadem causa eo deducitur, ut quum servitutem natura (*φύση*) constitutam ab ea quae *νόμοι* paratur discernat, alteram iustum et aequum, alteram iniquum esse contendat. cf. cap. 6. At nemo profecto consultandi facultate omni privatus est nisi qui insanit; porro eum qui consultandi facultate careat, tamen virtutis non esse expertem quis Aristoteli libenter concederit? quasi vero virtus inesse in eo possit, qui via et ratione non modo non agat, sed agere omnino nequeat. Idem nescio an sibi ipse repugnet mirabiliter. Nam qui paulo ante servum dixerat consilii expertem esse atque comparaverat cum animae parte ea, quae rationis est expers (*ἀλογος*), in qua quidem re summa totius argumentationis versatur, idem sub finem huius capituli (p. 1260. b.) eos reprehendit, qui rationis servos expertes esse dicant (*διὸ λέγουσιν οὐ καλῶς οἱ λόγου τοὺς δούλους ἀποστεροῦντες*). Nonne ea manifesta est repugnantia? At non licebat aliter facere ei qui humanitatem etiam erga servos esse servandam doceret neque solo eos imperio contineri vellet, sed multo magis admonitione et cohortatione institui (*νουθετήσον γάρ μᾶλλον τοὺς δούλους ἢ τοὺς παιδας*). Qui enim fieri posse existimabimus, ut instituatur is qui ratione omnino caret? Tenendum igitur erit, audire nos hominem Graecum sapientissimum illum quidem atque benevolum, sed qui pravis illis atque praeiudicatis opinionibus obstrictus atque devinctus teneatur, quibus universam antiquitatem laborare videmus. Quanto idem ille melius et verius de seminarum condicione disseruit, in quibus nihil agnoscimus, cui non libenter assentiamur. Nihil hic indigni, nihil quod dedebeat mulierem; id unum iure ac merito postulat, ut imperium sit penes patrem familias. Neque illud herile dicit imperium neque regium, quod in pueros patri debeat, sed id genus imperii, quod maxime liberis civitatibus conducat, in quibus liberis civibus magistratus legibus astricti praesint. In qua re etiam hoc videtur mirabile

**πρὸς τὸν τέλεον*. Ubi Stahrius alteram scripturam bonis testimonii firmatum *πρὸς τὸ τέλος* retinuit; neque aliter fecit Brandis (Aristoteles und seine akademischen Zeitgenossen vol. II. p. 1578.). Sed, ut opinor, loci sententia satis docet, personam requiri eius, in quo *τὸ τέλος* insit.

esse, quod, quum tria iustae civitatum administrationis genera statuat, regnum, optimatum principatum, liberam rempublicam, contra dominationem, paucorum potentiam, multitudinis licentiam depravata esse doceat, tamen in rei familiaris administratione, ad cuius similitudinem omnem rempublicam conformat, iniustum esse dominationem (*δεσποτείαν*) idem non sensit. Quod si vere rerum rationem perspexisset, non poterat eum fugere, pro servitute famulorum aut ministrorum condicionem esse statuendam, atque ut plane inter se res familiaris et civitas congruerent, in re domestica dominorum imperium cum optimatum principatu, patriam potestatem cum regia potentia, denique id imperium, quod mares in feminas exercebant, cum legitima magistratum in liberis civitatibus potestate comparandum esse.

Cum eadem re videtur cohaerere, quam ultimam hoc libro proponit quaestionem: si vera sint quae adhuc disputaverit, utrum etiam in artificibus, qui quidem saepenumero per intemperantiam munera sua negligant, virtutem inesse oporteat, an multum inter hos et servos intersit. Atque qui Socraticum illud meminerit, nullam virtutem esse sine cognitione, is, quoniam ars sine cognitione consistere nequit, dubitare non poterit, quin multo magis artificem virtute praeditum esse necesse sit quam servum, tantoque maiorem in illo virtutem requiri, quanto longius ars eius a sordidis vitae quotidiana, quae maxime cadunt in servos, negotiis remota sit. Quod apud Aristotelem multo secus dijudicari quis est qui non iure miretur? Dicit enim, quoniam servus vitae sit consors, artifex distet longius (ab eo qui arte eius utitur), tantum ad eum virtutis attinere quantum servitutis: illiberaliter enim artificem in definita quadam et circumscripta servitute versari; et servum quidem in earum numero rerum esse, quae natura constent, sutorum autem neminem neque ceterorum quemquam artificum. Quid igitur? artificem omni carere virtute Aristoteles voluit? minime id quidem; sed quantum humanae naturae particeps sit, tantum humana virtute ne illum quidem carere posse; ipsum autem artificium a virtute adeo remotum esse, ut, quo quae ars sit perfectior, eo magis a virtute aliena sit, contra quo sordidius sit artis genus quoque servituti propinquius, eo magis virtutem attingat. Quod quamvis atrox esse videatur, tamen qua causa adductus statuerit, neminem fugiet, qui, qualis sit apud Aristotelem servitutis condicio, attento animo consideraverit. Pone enim aliter eum statuisse, perfectissimum quemque artificem maximae virtutis indigere, illiberalissimum quemque a virtute remotissimum esse: iam universa quam adeo artificiose instituit servitutis ratio collabetur atque corruet. Sequetur enim perfectam iam servitutem omnis expertem esse virtutis; quo concesso non poterit facere, quin universam servitutem e civitate tollendam esse una concesserit.

Operae pretium erit cum hoc loco eum comparare, quo de variis artium generibus paulo disputavit distinctius. Dicit enim cap. 11. p. 1258. b. v. 35. seq. εἰσὶ δὲ τεχνικάταται μὲν τῶν ἐργασιῶν ὅπου ἐλάχιστον τῆς τύχης, βαναυσόταται δὲ ἐν αἷς τὰ σώματα λαβῶνται μάλιστα, δουλικάταται δὲ ὅπου τοῦ σώματος πλεῖσται χρήσεις, ἀγεννηστάταται δὲ ὅπου ἐλάχιστον προσδεῖ ἀρετῆς. Contra hoc nostro loco: τοσοῦτον ἐπιβάλλει ἀρετῆς δσονπερ καὶ δουλείας. Ergo qui supra recte statuit, ut quaeque ars sit liberalissima, ita summam in ea virtutem requiri, idem hic tantum virtutis

in artibus inesse docet, quantum accedant ad servitatem, i. e. quo magis sint δουλειαι, sive ut supra definit, quo maior in eis sit corporum usus. Atqui quum corpus natura sit mente inferius, etiam usus corporis illiberalior est quam mentis usus; atque quum ipsa virtus non in corpore, sed in mente cernatur, etiam in corporis usu minorem virtutem requiri oportet quam in eis artificiis, quae mente perficiuntur. Ex quo efficitur, vehementissime inter se hos duos locos discrepare.

In eodem errore versatur illud, quod addit p. 1260. b. v. 4. Aristoteles, talis virtutis auctorem esse servo dominum debere, non eum qui scientiam aliquam habeat munerum perficiendorum. Ubi primum quidem Schneider et Corai assentior, qui Lambini, Victorii, Giphanii, Aretini, Heinsii interpretationes secuti τόν post ἀλλ' οὐ inserunt; perspicuum enim est dominum hoc loco opponi munerum, quae servo obeunda sint, magistro. Ut enim in ipsis artibus nullam requiri aut mediocrem virtutem supra statuerat, ita servos ad virtutem institui non a magistro artium, sed a domino suo iure quodam contendit. Quamquam negare noluerim posse etiam delecto articulo recte se locum habere, dummodo hoc teneas, ipsum dominum ad servos ad virtutem conformandos munerum servilium gnarum esse non oportere. Sed quam facile articulus τόν ante sequentem articulum τὴν intercidere potuerit, quum in promptu sit, non vereor, ne quis temeritatis me convincat, si eam interpretationem accepero, quae et facillima est et maxime ad sententiam accommodata. Nec minus Giphanii accipio conjecturam, qui δεσποτικήν hoc loco delendum esse censuit. Videtur enim hoc adiectivum ex glossemate ab interprete aliquo haud sane imprudenti in margine ascripto in scriptoris orationem translatum esse. Nam revera διδασκαλίαν illa est δεσποτική, sed si grammaticae praeceps stare voluerimus, si, quod equidem nego, necessarium hoc adiectivum esse putaverimus, inverso ordine scribendum erit τὴν δεσποτικήν ἔχοντα τῶν ἔργων διδασκαλίαν vel potius διδασκαλίαν.

Sed ut redeam eo, unde ad interpretandi hanc meam provinciam digressus sum, qua ratione servo ipsum dominum, non artificem quemquam esse virtutis auctorem Aristoteles velit, iamiam perspicuum est. Nam in arte nullam inesse virtutem docet, servum autem non certae ulli addictum esse arti, sed totum esse domini neque quicquam praeterea. Unde igitur de virtute doceri potest nisi ab ipso domino?

Multa possunt praeterea afferri, quibus quantopere in servitute defendenda Aristoteles erraverit, luculentissime appareat. Sed satis sunt superque. (*) Neque tantum egomet mihi assumo, ut me aut unum aut primum haec vidiisse confidam; satis me fecisse et mihi et umbraculis meis scholasticis arbitrabor, si nonnullis certe locis clariorem videbor lucem attulisse.

(*) Spero veniam mihi datum iri, quod huius loci angustiis impeditus de eis, quae de eodem hoc genere viri docti disputaverunt, multus esse nolui. Id autem, opinor, non solum ignoscere intelligentes harum rerum existimatores, sed etiam gratiam mihi habebunt, quod Steinheimii, qui vindicta voluit exercere Aristotelis, alucinationes atque somnia intacta reliqui; quae eo melius se habebunt, quo maiore obliuione obrueruntur.